

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Disputatio de statione solis, ad Jos. X, 12. 13. 14.

**Abicht, Johann Georg
Werchau, Johann Gottfried**

Lipsiae, 1713

[urn:nbn:de:bsz:31-130599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130599)



60 A 2691,1

EX
BIBLIOTHECA
ILLUSTRIS
CAROLI HESYCHEI.

65723

DISPUTATIO
DE

STATIONE
SOLIS,

ad Jos. X, 12. 13. 14.

QUAM

PRÆSIDE

D. IO. GEORG. ABICHT, P.P.

IN AUDITORIO THEOLOGICO

D. XXV. NOV. ANNO MDCCXIII.

H.C.

ΣΥΜΦΙΛΟΛΟΓΟΥΝΤΩΝ ΕΧΑΜΙΝΙ

ΕΧΡΟΝΙΤ

A. ET R.

IOH. GODOFR. WERCHAU,

GROSSBARDA-MISN.

SS. THEOLOG. STUD.

LIPSIAE,

LITERIS ANDR. MART. SCHEDII.

1713

6.



שירתי:

CONSPECTUS DISPUTATIONIS.

- §. I. **P**roœmium.
- §. II. **P** Antecedentia & Versio verborum.
- III. Utrum Josua preces suas cantaverit?
- IV. Quid significet, dare coram aliquo hostes.
- V. Quomodo Josua Solem occidentem & Lunam simul conspexerit, & de situ Bethhoron, Gibeon & Ajalon.
- VI. Quo die & mense utrumque sidus simul conspectum sit?
- VII. Utrum Sol sit animatus & laudes DEi canat, uti opinantur Judæi?
- VIII. Utrum Josua Solem pro re animata habuerit, & eum silere jusserit?
- IX. Utrum Copernici motum Solis circa axin ex verbis Josue probare possint?
- X. Quomodo Sol steterit ex sententia Rabbagi?
- XI. Utrum Parhelius fuerit ex sententia Peirerii & Spinozæ?
- XII. Utrum insolitis refractionibus factum sit miraculum ex sententia Clar. Clerici?
- XIII. Verum fuisse miraculum, diemque illum reliquis longiorem probatur.
- XIV. Quamdiu Sol steterit?
- XV. Utrum Sol illo die bis steterit ex sententia Talmudistarum?
- XVI. Utrum Nicodemus Solis Stationem precibus suis impetaverit? deque aliis Solis Stationibus.

A 2

§. I.

§. I.



A nostri seculi fere est indoles, ut in antiquis scriptis & factis interpretandis ratio respiciat, quid sibi verosimile videatur, non vero quid verba scriptorum dixerint, unde factum sapius, ut miracula rationi non pervia, in sensum trahantur, non tam primis scriptoribus, quam rationi & cogitationi nostræ convenientem. Ne vero nostras meditationes antiquarum sententiarum loco vendamus, ponenda nobis hæc erit regula, ut in scriptorum sacrorum verbis, tanquam in speculo haud fallaci antiquorum mentem contemplemur, & pictorum more nostris verbis eandem delineemus & depingamus. Hoc imprimis nobis observandum esse intelligimus, qui Solis & Lunæ Stationem admirandam ex antiquissimi scriptoris verbis, describere constituimus. Legitur illa CAP. X. JOSUÆ vers. 12. 13. 14. paucis verbis relata, & a variis ex hypothefibus & præjudiciis receptis varie explicata. Peccant Judæi, multa ut videri volunt, ex traditionibus addentes: peccant Mathematici, qui Josuæ sententiam affingunt, de qua nunquam cogitavit, vel cogitasse nunquam probari potest. Evolvemus itaque singularum vocum sensus, aliis scripturæ locis & antiquissimis interpretibus probatos: inquiramus sensum sepositis aliorum explicationibus, quas tamen non negligemus, si recto tramite procedant. Potentissimum Numen, cui hoc miraculum tribuimus, largiatur vires, quo illud eo sensu describamus, quo a potenti ejus manu patratum est, in ejus laudem & fidelium solatium.

§. II.

Josua cum Gibeonitis fœdus inierat, invito Rege ipsorum Adoniseo, eosque non solum inter Israelitas habitare concesserat, sed etiam contra hostes defendere permiserat. Hoc ægre tulit Adoniseus, Rex Hierosolymorum, qui

qui misit ad Hohamum Hebronis, Piram Jarmuthi, Japhiam Lachisi, Debirum Eglonis reges, eosque cohortatus est, ut conjunctis viribus rebelles invaderent, & ad obsequium reducerent. Gibeonitæ vero in tanto discrimine constituti, Josuam rogant, ut suppetias ferret & opus maturaret. Decrevit Josua cum suis militibus subvenire sociis laborantibus, qui etiam a DEO confirmatus, tota nocte exercitum suum repente in hostem movit. Non ambigebat Josuæ animus de Victoria, quod ipse DEUS sati hostibus imminens necessitatem jam decretam ipsi revelasset CAP. X. vers. 8. Quare terrore a DEO immisso hostes perterriti ab Israelitis percutiuntur & datis tergis in fugam passim effunduntur. Accessit, quod ipse DEUS præcipites hostes tempestate & grandinis lapidibus persequeretur, quo effectum est, ut plures tempestate, quam Israelitarum gladio perirent. Quam insignem victoriam persecuturus Josua, sed ob imminens noctem parum effecturus, preces ad DEUM, cuius auxilium jam expertus erat, convertit, rogatque conspicientibus, & uti videtur, comprecantibus Israelitis, ut Numen benignissimum, quod hanc victoriam dederat, Solis & Lunæ Statione diem longiorem redderet, donec victoria defuncti essent. Verba scriptoris Jos. X. 12. 13. 14. quibus hoc miraculum proditum est, in codice sunt sequentia, quæ secundum Hebræorum antiquorum lectionem accentibus distinctam ita vertimus:

Verf. 12. *Tunc locutus est Josua, ad Dominum,
in die, quo dederat Dominus, Emoræos,
coram filiis Israel.*

*Et dixit, in oculis Israelitarum,
Sol, in Gibeon stas,
& Luna, in valle Ajalon.*

13. *Et quievit Sol, & Luna stetit,
donec ulcisceretur gens de inimicis suis.
Nonne hoc scriptum est, in libro recti:
Et stetit Sol, in Cælo.*

A 3

¶ non

& non festinavit occidere, circiter die integrò.
 14. Et non fuit (dies), sicut dies illa, neque ante neque post eam,
 ut auscultasset Dominus, voci hominis.
 Quia Dominus, pugnavit pro Israelitis.

§. III.

Quamvis versio Latina sensum Hebræi Scriptoris non male referat; fatendum tamen est, voces Hebræas ampliolem frequenter habere significationem, quæ Latinis vocibus difficulter exprimitur: Quare voces singulas evolvemus, & quem sensum exhibeant, accuratius exprimemus. Primas voces אָז יָדַבֵּר tunc locutus est Josua Hebræi reddunt, tunc cantabat Josua, existimantes, Josuam Moſis exemplum imitatum preces suas cantasse. Ita enim loquuntur in Mechilta, antiquo fatis libro, ab Ismaele, socio R. Hofchaia scripto, Sect. Beschallach fol. 26. col. a, Edit. Amstelod. Anno 472. Christi 1712.

וְהָלֹא עֶשֶׂר שִׁירֹתַי
 הֵן הָרֵאשׁוֹנִים שֶׁנֶּאֱמָר
 בְּמִצְרַיִם שֵׁנִי הַשִּׁיר הַזֶּה יְהוֹי
 לָכֵן כָּלִיר הַתְּקֹדֶשׁ חֲנֻ
 וְגוֹ' הַשֵּׁנִי עַל הַיָּם שֶׁנֶּאֱמָר
 אָז יִשְׂרָאֵל מִשָּׁה הַשְּׁלִישִׁית
 עַל הַבָּאָר שֶׁנֶּאֱמָר אָז יִשְׂרָאֵל
 יִשְׂרָאֵל הִרְבִּיעִית שֶׁנֶּאֱמָר מִשָּׁה
 שֶׁנֶּאֱמָר וַיְהִי כְכֹלֹת מִשָּׁה
 לְדַבֵּר אֶת כָּל דְּבָרֵי
 הַשִּׁירָה הַזֹּאת הַחֲמִישִׁית
 שֶׁנֶּאֱמָר יְהוֹשֻׁעַ שֵׁנִי אָז יָדַבֵּר
 יְהוֹשֻׁעַ לִפְנֵי יְיָ בְּיוֹם תְּרֵי
 יְיָ וְגוֹ' הַשֵּׁשִׁית שֶׁנֶּאֱמָר

Nonne sunt decem cantica? Primum dictum est in Ægypto, legimus enim *Jes. XXX, 29. Canticum erit vobis, sicut in nocte, qua sanctificatur festum &c.* Secundū erat apud mare, quia legimus *Exod. XV, 1. Tunc cantabat Moſes.* Tertium apud puteum, *Num. XXI, 18. tunc cantabat Israel.* Quartum dixit Moſes, quia dicitur *Deut. XXXII, 44. Venit autem Moſes & dixit omnia verba Cantici hujus &c.* Quintum dixit Josua, *Jos. X, 12. Tunc locutus est Josua coram facie Domini, in die, quo dederat Do-*

וְכֹרָה

Auctor enim Mechiltæ plura in eodem loco allegavit, quæ aliter in codice leguntur, quæ evidentè docent, eum non tam verba, quam sensum respexisse & verba ex memoria allegasse, inspice 2. Parail. XX,21 & Jes. XLII, 10. ubi plures mutationes observabis. Nec fortasse meliores sunt lectiones N. T. ex patribus collectæ. Accuratiorem observationem meretur, quod nostrum ידבר & locutus est, Mechilta vertat, & cantavit. Certum est, primo post N. C. seculo Judæos persuasos fuisse, canticum a Josua cantatum fuisse, nam Chald. etiam vertit שכה tunc laudavit scil. cantico Josua coram Domino. Nec negandum יבר loqui de canticis sæpius in scriptura usurpari v. g. Deut. XXII, 44. 2. Sam. XXII, 1. 2. Parail. XX, 21. vide supra allegata. Accedit, quod dicitur, Josuam hostibus in fugam coniectis coram toto populo Israelitico preces suas ad DEum fudisse; frequenter autem victores *in via* cecidisse, ex historia sacra & profana patet, vid. *Dougl. Anal. Excurf. LXIX. p. 119.* Sed sciendum antiquorum Israelitarum cantica, breviter vocum membra esse complexa, quæ fortasse sine multis modulationibus sunt recitata, qualia h. l. duo legimus:

*Sol in Gibeon sta,
& Luna in valle Ajalon.*

Existimamus autem, prolixiores fuisse Josuæ preces, & ea tantum verba a Scriptore esse adducta, quæ ad miraculi descriptionem spectarunt. Ex quo patet, Josuam non tantum armis, sed & precibus pugnavisse. Quod denique ידבר tunc loquetur, vertendum sit Latine, tunc locutus est, vel tunc loquebatur, ex Grammatica notum est.

§. IV.

Occasionem, qua Josua preces ad DEum fudit, describunt hæc verba: *Tunc precatus est Josua ad Dominum, in die, quo dederat Dominus Emor eos, coram filiis Israel.* Phrasim, *dare hostem coram aliquo*, Hebræis est elliptica, quæ plena legitur Exod. XXIII, 27. *Et dabo omnes hostes tuos tibi cervicem*, h. e. efficiam, ut omnes hostes tibi faciem avertant &

& terga dent. Sic h. l. commodè vertimus, *tunc precatus est Jofua ad Dominum, in die, quo Dominus Emoræos coram filiis Israel in fugam dedisset.* In antecedenti enim versu legimus, Emoræos aufugisse a facie Israelis, & Bethhoronem descendisse. LXX. male reddunt, ἡ ἡμέρα παρέδωκεν ὁ θεὸς τὸν ἀμορραῖον ὑποχείριον υἱῶν Ἰσραὴλ, *die, quo dederat Dominus Amoraicum sub manus Israel.* Quæ bona quidem essent, si in codice extarent: כיום תרת ירוה את הנמרי ביד ישראל sed lectionem hodiernam servavit Chaldæus & Vulg. vertentes: *In die, quo tradidit Dominus Amoraicum coram Israelitis, vel in conspectu Israelitarum.* Reliqua, quæ in LXX. legimus, merito pro glossematibus habentur, cum addunt: ἡνίκα συνέτριψεν αὐτοὺς ἐν Γαβαὼν, καὶ συνέτριβησαν ἀπὸ προσώπου υἱῶν Ἰσραὴλ, *quando contrivit eos in Gabaon, & contriti sunt a facie filiorum Israel,* quæ recte in codice Complutensi omiſſa, nec a Syro, nec ab Arabe agnoscuntur. Præterea miramur doctissimum Masium, qui incertum esse dicit, quo illa pars orationis, ob oculos Israel spectet, utrum verbo loquebatur, an vero insiste adhæreat. Sed dubium dirimit versio nostra secundum Hebræorum accentus distincta, quam vide. Male verba cohære existimamus, si vertamus: *Et dixit, in oculis Israelitarum Sol in Gibeon subsiste.*

§. V.

Sed hæc verba prolixiorè considerationem requirunt, multæ enim quæstiones circa illa moventur, quæ ex genuino eorum sensu solvendæ. Quæ mens itaque Jofuæ fuerit, dum hæc verba pronuntiavit, videbimus. Animus erat ad DEum conversus & anxio desiderio hostes profligandi ardebat, sed ob imminentem noctem dubius, utrum eodem in fugam conjectos tuto persequi posset; tandem benigni Numinis spe fretus, preces coram Israelitis, sua vota ejus præcibus adjunctibus, ad DEum fundit, ex quibus hæc præcipua verba a Scriptore sacro nobis conservata fuerunt

B

שמש

שמש בנבעון וירח

במעמ אילון:

*Sol in Gibeon quiesce,
& Luna in valle Ajalon.*

Hic primo loco quaeritur, quomodo Josua Solem per Gabaon & Lunam per Ajalon viderit? Antequam respondeamus, ostendendum, in quo loco Josua steterit, & per quaerit loca Solem & Lunam simul conspexerit. Locus in quo Josua stetit, sine dubio fuit Bethhoron, quod ex v. 10. apparet, ubi legimus, *Josua persequutum esse hostes ex Gibeon fugientes per viam adscensus Bethhoron.* Existimamus itaque Josuam adscenso monte substituisse, licet quidam Israelitae hostes Macedam & Afecam usque persecuti sint. Est autem Bethhoron in finibus Benjamitarum septentrionalibus, si a Bethel versus occidentem maris progrediaris, quod patet ex Josuae XVIII. vers. 13. *transit terminus per latus Luz australem. h. e. Bethel, & descendit ad Ateroth Addar, super montem, qui est Australis Bethhoroni inferiori.* Ex quo cognoscimus, montem Bethhoron fuisse conterminum cum Ateroth Addar, adeoque tantum ab hac urbe non removendum, uti in Bonfrerii charta a Clerico edita factum est. Rectius *Lighthfootus* eum collocavit in charta sua, quam vide in operibus ejus. Porro noster *Cellarius* Geograph. Antiqu. Lib. III. C. XIII. p. 532. ex Josephi Libr. II. Cap. XXXVII. observat, Bethhoron centum stadiis h. e. duodecim millibus passuum distare ab Hierosolymis, quae vicinitas docet, eam Hierosolymitanis maxime septentrionalem fuisse, ita tamen, ut paululum ad occidentem recedat. Secundus locus, per quem Josua Solem vidit, est Gibeon, LXX Gabaon, urbs Benjamitarum, quae teste Josepho l. c. XL. vel L. stadiis distat Hierosolymis, vid. *Cellar.* l. c. p. 556. & quidem si ex Bethhoron via publica Hierosolymam petas. Haec sunt Josephi verba: *Ex Antipatride Cestius Lyddam profectus, ex isto oppido ulterius procedebat, & per Bethhoron adscendens, in lo-*

loco, qui Gabao vocatur, castra posuit quinquaginta stadiis ab Hierusalem. Ex his alii colligunt Gibeonem fuisse Bethhorone orientaliorem, uti ex Charta Bonfrerii constat, de quo vero dubitatur. Si enim Josua in monte Bethhoron per Gabaoon solem occidentem conspexit, necesse est, ut Gabaoon Bethhorone occidentalior fuerit. Accedit, quod teste Josepho Libr. V. Cap. L. Antiquitatum, illa via declivis fuerit. De nostro hoc praelio refert: Josuam fugientes insecutum *διὰ χωρίων επικλινῶν, ἧθ' ὄρα καλεῖται, per loca declivia, quae Bethora appellantur.* In ejusmodi vero viis raro recta incedere licet. Hinc Lightfootius in Charta Canaanis Bethhoron orientaliorem posuit Gabaone. Quærendus etiam tertius locus, per quem Josua Lunam conspexit. Hic appellatur vallis Ajalon. Bonfrerius in Notis ad Loca Hebr. Eusebii & Hieron. nostrum Ajalon in tribu Dan collocat ad mare mediterraneum. Qui situs si verus esset, nostram vallem Ajalon multo occidentaliorem Gibeone & Bethhorone redderet. Non quidem inficiamur Ajalonem Jos. XIX, 42. Jud. I, 35. tribui Dan fuisse attributam; attamen plura frequenter loca unum nomen gerunt. Et cum i. Paral. VIII, 13. legamus, *posteror Benjaminis Beriab & Sema inhabitasse Ajalon in tribu Dan,* sequitur alium locum ejusdem nominis admittendum esse in tribu Benjamin. Uti enim l. c. Paral. vers. 28. de quibusdam posteris Benjamin legimus, qui Hierosolymas in tribu Benjamin inhabitaverunt, sic de nostris ibidem sentiendum erit, quod in eadem tribu vixerint. Hoc concessio, opus non est, ut dicamus cum aliis, Benjaminitas Danitarum urbem inhabitasse. Nostræ conjecturæ magnum pondus addit Eusebius in Onomastico pag. 13. *Αἰλῶν Φάραγξ καὶ ἢ ἐστὶ ἢ σελήνη ἐυζαμένε Ἰησοῦ ἐγγυὲς κώμης. Ἔστι νῦν Αἰλῶν καλεωμένη ἐξ ἀνατολῶν Βηθὴλ σημείοις Ἰησοῦ διὰ τῆσ' αὐτῆσ' ἀρᾶνεται δὲ αὐτῆ ἡ Γαβαὰ ἢ Ραμαὰ πόλις σαούλ.* Consentit Hieron. ibid. *Ajalon, vallis atque præruptum, super quod orante quondam Jesu Luna stetit juxta villam, quæ usq̄ nunc Ajalon dicitur contra orientem Bethelis, tribus ab ea millia-*

vibus distans, haud procul a Gabaa & Rama Saulis urbibus. Porro Hebraei affirmant, pergit Hieron. Ajalon vicum esse juxta Nicopolin in secundo lapide pergentibus Aeliam. vid. Cellarius p. 607. Sic idem Hieron. in Epitaphio Paullæ Cap. III. Inde proficiscens ascendit Bethhoron inferiorem & superiorem, urbes a Salomone conditas, sed varia postea bellorum tempestate deletas; ad dextram adspiciens Hajalon & Gabaon, ubi Jesus, filius Nave, contra quinque reges dimicans, soli imperavit & lune. Nec audiendus Bonfrerius in Annotat. quod Josua ex Gabaone in occidentem in Bethhoron recedens, Solem & Lunam in orientali parte simul aspicere non potuerit. Jam dum enim ostendimus, viam, quæ a Gabaon ad Bethhoron ducit, non occidentalem, sed potius ob invios montes orientalem fuisse. Denique verosimilius est, Josuam respexisse loca propinqua & sibi nota, per quæ in eadem expeditione profectus erat. Ajalon vero in tribu Dan, eo tempore nondum erat occupata, & uti videtur, Josuæ ignota, nimisque a Bethhoron remota, ut ne quidem eam videre potuerit. Si itaque dicamus, Josuam in monte Bethhoron, qui Gabaone orientalis & Ajalone occidentalis fuit, stetit, ultro sequitur, eum per Gabaon Solem occidentem, & per Ajalon Lunam crescentem, quæ Solem sequitur, simul videre potuisse. Lunam enim crescentem, versus orientem & Solem in occasu conspici, experientia & Astronomi docent.

§. VI.

Porro quæritur, quo die Josua Solem & Lunam stare petierit? Judæi in Seder Olam Rabba Cap. XI. pag. 31. putant, hoc factum esse tertio die Tammuz, qui hoc anno in 27. Junii incidit:

מלחמת של יריחו ושר	Bella Jerichuntis & Aji
עי ושר גבעת היו בתוך	Gibeonis, facta sunt intra tri-
ג' חדשי בשלשה בתמוז	mestre: Tertio die Tammuz
יאמר לעיני כל ישראל	(Junii) dixit Josua coram uni-
	טמש

שמש בגבעון דום ירח *verso Israel, Sol in Gibeon sta &*
 וידום אלק בעמק *Luna in convalle Ajalonis. Sub-*
 השמש וגו' רבי יוסי אומר *stitit ergo Sol &c. (Jof. 10. 12. 13.)*
 יום התקופה הורה *quem diem R. Jofe tradit incur-*
 למדנו שר"ח שר' ניסן; *riffe in solstitium æstivum; un-*
de colligimus principium mensis Nisan fuisse.

Cui sententiæ calculum addunt Arias, Lyranus, Genebrardus aliique. Sed Serarius Quæst. XXII. p. 250, existimat, miraculum hoc incidisse in mensis tertii principium: *Sed cum solas res, inquit, hæcenus gestas considero, videtur in mensis tertii principium, qui Sivan dicitur, nostroque partim Majo, partim Junio respondet, vel in secundi finem, qui Fiar & Aprilis ac Majus noster est, syderea hæc incidere statio.* Quod proluxa rerum isto tempore gestarum enarratione probare voluit. Sed quia multa supponuntur, quæ incerta sunt, & alio tempore contingere potuerunt, nolimus hæc prolixè examinare, in tanta enim rerum obscuritate, vix quicquam certi dici posse existimantes. Vero tamen simile videtur, Solis & Lunæ Stationem in illud tempus incidisse, quod Judæi annotant, quia in idem Luna crescens incidit, quod & hoc anno factum. Et si jam dicti Serarii verba accuratius perlegas, invenies in iisdem, quod tandem nostram probabiliorem sententiam approbet. Quod vero vespertino tempore, Josua utrumque sidus viderit, parere videtur, partim, quod Josua imminentem noctem suis inimicam prævideret, partim, quod utrumque sidus simul conspiceret. Quæ fusius deduxit *Abulensis Episcopus* ad Cap. X. qu. 12. p. 305.

§. VII.

His præmissis ad explicationem reliquarum vocum progrediamur. Vox שמש est SOL, qui a Radice Chald. שמש ministravit, originem trahit, quia terræ ministrat. ורח quiesce, ampliori sensui subjectum, majorem consideratio-

nem meretur. Antiqui Judæi verterunt **רום** *filere*, ut sensus sit: **רום** *Sol in Gibeon file*, quia existimarunt, Solem laudes DEi celebrare. Sic legimus in Midrasch Kohel. fol. 92. col. 4.

כך גזר חקב"ה ער השמש
וער הירח שיחיו מקלסין
אותו: שנאמר ממזרח שמש
עד מבראו מהלל שם ה' מהלל
כתיב: עמר יהושע תלמידו
ושיתקן שני שמש בגבעין **רום**
וירח בעמק אילון:

Constituit DEus summe benedictus, ut Sol & Luna eum laudent. Dicitur enim in Scriptura: *Ab ortu Solis ad occasum laudetur nomen DEi*, Pf. 113, 3. **מהלל** *laudans* est in textu scriptum. Surrexit Josua, discipulus Mosis & Soli & Lunæ silentium imperavit, quia dicitur Jos. X, 12. *Sol in Gibeon file & Luna in valle Ajalon.*

Ne existimes, hæc tropice a Judæis intelligi, multa prostant loca, ex quibus evidenter patet, eos cælo proprie dictam loquelam tribuere. Sic in Midrasch Tillim (vid. *Falk. Simeon*. Part. II. fol. 96. a.) legimus, quod licet cælo non sit os coram creaturis, sit tamen ei os coram DEo benedicto, quia dicitur: *Cæli enarrant gloriam DEi*, Pf. XIX, 1. Rabbi quoque Maimon in More Nebochim P. II. Cap. V. fol. 84. 2. orbis animatos asserit:

אמנם שהגלגלים חיים
משכילים רוצה לומר
משיגים זרה אמת נכון
גם כן מצד התורה ושאינם
גשמיים מתים כאש וכארץ

Quod orbis cælestes sint Animalia intelligentia & ratione prædita, h. e. quod apprehensionem habeant, id verissimum & veritissimum est secundum legem quoque nostram; quodque non sint corpo-
כמו

כמו שחשבו הסכלים אבר
 הם כמו שאמר הפלו
 הפרוסופים בעלי חיים
 עובדים את ארוניהם
 ישבתו ויהללו:

ra mortua, sicut ignis & terra, uti fatui & imperiti arbitrantur, sed ut Philosophi loquuntur, Animalia, que colunt, laudant & celebrant Dominum & Creatorem suum.

Hæc vero ex Aristotelis gentiliumque aliorum philosophia in Judæorum & quorundam Christianorum mentem promanasse, vel inde constat, quod tam barbari, quam Græci stellis vitam & sensum tribuerint, uti prolixè docet *Vossius* de Idololatr. Lib. II. Cap. XXX. p. 455. seq. Nec est, ut putemus, Judæos in asserenda hæc sententia scripturæ literam secutos fuisse; hæc enim rectè intellecta longe diversa docet. Sic neque sana ratio ejusmodi sententiam confirmat. Ex falso enim principio argumentantur, qui sidera partes Jovis esse dicunt, adeoque ea vivere & rationales animas habere, colligunt: uti *Augustinus* ex eorum mente loquitur, de Civit. DEi Lib. XI. Neque ex motu stellarum vita colligitur, DEo enim grave non est, talem iis indere naturam, per quam vel suapte vi vel *aiuros* assidue moventur. Vide Præf. disputat. de Sermone cælorum ad Pl. XIX. Et quamvis interiorem stellarum naturam ignoremus, id tamen certum est, eas sensibus non esse præditas, quibus Supremum Numen homines exornavit, quoniam organa similia in iisdem non observamus, nec ullo modo concipimus. Miramur itaque Philaletam nuper stellarum sensitivitatem approbasse, & scripturæ testimoniis confirmare suscepisse, uti *Cl. Majus* refert *Oecon. V. T. p. 78.*

§. VIII.

Seposita ergo Judæorum sententia erronea, nostrum est inquirere, utrum *Josua* Solem & Lunam *filere* jusserit, adeoque stellas pro substantiis animatis habuerit? Hoc ex voce

voce **רָמַד** non apparere existimamus. Radices **רָמַד** & **רָמַד** ex consensu optimorum Lexicographorum, Forsteri & Cocceji significatione conveniunt. Quorum proprium sensum intelligimus ex Exod. XV. vers. 16. ubi Moses in Cantico suo de Edomitis & Moabitis dicit, *per magnitudinem brachii tui יָרַמְדוּ immoti erunt sicut lapis.* Vulg. *fiant immobiles.* Sic quoque Habac. II, 19, *lapis רָמַד quiescens nominatur.* **רָמַד** itaque proprie de lapidibus rebusque inanimatis dicitur, & significat *negationem motus, non moveri.* Sic Pf. CVII, 29. de turbine ad quietem redacto eadem vox legitur: *reduxit turbinem יָרַמְדוּ in quietem.* Eodem sensu demortui, descendentes *in רָמַדוּ in quietem*, appellantur, Pf. CXV, 17. ubi LXX. *ὁ καταβαίνων εἰς ἄδου descendentes in infernum.* Nec dubitamus, antiquissimos Judæos, gentilium doctrinis tantum non imbutos, verum nostri loci sensum exhibuisse vertentes: *ὁ ἥλιος κατὰ γαλαξίν σταῖται.* Nec non Vulg. *Sol contra Gibeon, ne movearis.* Et quid multis, ipse Scriptor sacer Josuæ mentem evidenter declarat, dum nostrum **רָמַד** *quiescere* per **עָמַד** *stare* explicat vers. 13. **וַיַּעֲמֵד** & *stabat.* Desideravit itaque Josua mente sua, ut Sol & Luna a cursu suo quiescerent & starent, & neququam ut a laude DEi desisterent. Legerat Josua & didicerat, quæ Moses de stellis & imprimis de Sole & Luna Gen. I. docuerat. Cognoverat, DEum summe benedictum quarto die cum aliis stellis creasse Solem & Lunam, uti videtur, ex luce, prima die, creata. Cognoverat, DEum eas posuisse **יָתֵן** in firmamento, & observaverat ordinem & motum accuratissimum, quem constanter tenent, eum in finem, ut imprimis Sol & Luna, magna illa Luminaria (ita enim humano oculo apparent) præessent diei & nocti, h. e. lucem subministrarent & terræ inservirent, quod officium scriptura dominium appellat, v. 16. Nulli dubitamus eum scivisse, quod Eccles. I, 5. 6. legimus: *Oriri solem & occidere & ad locum suum reverti.*
Gyra-

Gyrare per meridiem & flecti in aquilonem & lustrare universa in circuitu. Hac doctrina Josua imbutus, precatur DEUM, ut Solem & Lunam, quæ duo sidera tunc oculis ejus incurrebant, stare jubeat, quo eorum lumine diutius frui & hostes fugientes longius persequi posset.

§. IX.

Dissentiunt a nobis Mathematici Copernicanæ hypothesei addicti, qui non Solem, sed terram moveri persuasi sunt. Hos inter celebris est *Auctor Exercitationis Theoricorum Copernico cælestium mathematico-physico-Theologica* An-1689. in 4. editæ, in qua observatur, Josuam non tantum Solem, sed & Lunam stare jussisse, ex quo colligit Auctor, Josuam talem Solis quietem petiisse, quæ tam Lunæ, quam ceteris planetis, totique adeo Systemati cœlesti quietem daret, quod non juxta vulgarem, sed Copernicanam Astronomiam literaliter possit impetrari. Ut enim hæc Soli motum diurnum annumque denegat; multo tamen nobiliorem ei tribuere asseverat, quo in mundi medio velut Rector totius verticis Planetarii residens, & circa suum centrum radialiter rotatus, causa sit omnis motus in mundo suo, & cum planetis etiam terram circumducat. Vid. Act. Erud. Mens. Maj. Anno 1690. p. 283. Eodem fere modo doctissimus *Nehem. Grew* Collegii Physici & Societatis Regiæ Collega in *Cosmologia sacra* Lib. I. Cap. II, p. 7. ex maculis Solis observatum esse asserit, Solem 25. diebus & 6. horis circa axin suam revolvi, uti terra unius diei spatio. Deinde Lib. IV. Cap. V. p. 203. Solis Stationem explicaturus infert, proprie de Sole Stationem dici posse, quamvis incertum sit; utrum appropinquatione incogniti corporis cœlestis, an vero alia causa effectum sit. Superfunt alii plures, qui eadem sentiunt. Sed a nobis impetrare non possumus, ut credamus, Copernicanam hypothesein Josuæ fuisse notam. Quamvis enim stellas suum constanter tenere locum, & terram circumgyrari circa suum centrum olim defenderint Pythagorici, quorum unus fuit Aristarchus Samius, qui propter hu-

jus placiti defensionem ab adverfario accusatus est violata
 religionis coram Areopagitis, fed absolutus iudicum fenten-
 tia, vid. *Varen. Geogr. Gen. Lib. I. Cap. V. pag. 33.* Nulla ta-
 men ratio jubet, ut Jofuam hujus hypotheficos confeium di-
 camus, eumque ex eadem Solem allocutum, utque a motu
 circa axin defiftat, precatum effe, ftatuamus. Si enim Co-
 pernicana mente loqui voluiffet, ipfi dicendum fuiffet: Sol
 fta: vel Sol in centro tuo fta: nec opus fuiffet, quod adje-
 ciflet Lunam. Certus enim fuiffet, Lunam cum omnibus
 Planetis fubftitutam, fi Sol non amplius moveretur. Statu-
 endum etiam effet, omnes Ifraelitas, qui Jofuæ precanti ad-
 ftiterant, optime Copernicanam hypothefin cognoviffet. A-
 lias enim verba Jofuæ non intellexiffent, neque fuas preces
 adjungere potuiffent. Porro afirmandum effet, Davidem
 & Salomonem, qui Solem oriri & occidere dixerunt, Jofuæ
 aftronomicam fcientiam non effe confeutos, fed in plebe-
 jorum errorem relapfos. Sed veram effe, inquit, Co-
 pernici hypothefin, & explicandis phænomenis aptam, ple-
 rifque celeberrimis Aftronomis probatam. Respondemus,
 alios Mathematicos multa opponere, quæ constant ex *Pe-
 tri Galtruchii Inftit. Mathem. Sphæ. Terr. Cap. I. pag. 213. feq.*
 & *Riccioli Almag. Lib. IX. Sat. 4.* Hæc vero non excutimus,
 ne extra oleas vagemur. Præterea fæpius fcripturam fecun-
 dum apparentiam loqui novimus, v. g. quando Gen. I. 16. Lu-
 nam luminare magnum appellat, & cum Sole componit, quæ
 tamen juxta plerofque Aftronomos Planeta Saturno & fe-
 cundum alios aliis etiam tam fixis, quam erraticis ftellis
 πρὸς λογισμὸν revera minor fit. Appellatur tamen lumina-
 re magnum per officium & dominium noctis, πρὸς ὀφθαλμὸν,
 uti *Danbæverus* loquitur *Disp. I. de Hexaemero, die IV. pag.*
8. feq. Sic Solem ab extremitate ire & ad extremitatem re-
 dire fcriptura dicit, cum tamen revera talis extremitas nul-
 la fit, nifi fecundum apparentiam. *Varen. Geogr. Gen.*
Lib. I. Cap. V. p. 37. Fatetur id quoque
B. Glaffius in *Philologia Sacra Lib. V. T. I. Cap. IV. p. 1490.*

In Sacris literis, inquit, res saepe nominatur & describitur, uti est *Φαειουώως κατὰ δόξαν*, non κατὰ τὸ εἶναι ἀλλήθειαν; seu, qualis hominibus videtur esse, non qualis est in sua natura. Fit hoc, tum in simplicibus vocibus & quidem vel nominibus, vel verbis: tum in conjuncta phrasi. Id quod de conjuncta phrasi exemplis confirmat p. 1493. Sic allegat Es. 49. 23. Mich. 7. 17. Es. 13. 5. *Venient ex terra longinqua ab extremitate caelorum.* A vulgi opinione, inquit, haec phrasis desumpta est, qui iudicium oculorum secutus putat, caelum non esse sphaericum, sed hemisphaericum, & in extremis terrae finibus deficere, quibus inniti videtur caelorum extremitas. Extremitas igitur caeli ponitur pro extremitate terrae, seu locis longinquis &c. Idem sentit Hackspan. in Not. Philol. ad Gen. I. 16. Matth. XIII. 12. & Luc. II. 12. &c. Imo Josuam juxta apparentiam locutum esse, vel exinde patet, quod Solem in Gibeon & Lunam in valle Ajalon stare jubeat. Nemo enim dixerit, eo tempore Solem vere super Gibeon vel Lunam super Ajalon stetitisse, quia ambo loca extra tropicum Cancris posita erant; sed necessario affirmandum est, Solem ut & Lunam tantum apparenter super istis locis fuisse, & ita in oculis Israelitarum apparuisse. Nulli itaque dubitamus, Copernicanos verbis Josuæ suam hypothesein intulisse, & eorum praëjudicium admisisse, qui notiones proprias aliorum verbis immiscent, de quibus fule *John Edward* docuit in *Frec discourse concerning Thruth and Error* Ch. X. p. 363. seqq. Quamvis vero Copernicorum sententiam in Josuæ verbis non inveniamus; eorum tamen hypothesein nequiquam impugnamus. Si enim Josua secundum apparentiam locutus est, ultero sequitur, eum Copernicanam sententiam neque approbasse, neque impugnasse. Sufficit, Josuam miraculi effectum, diem longiorem, & Solis in Horizonte diuturniorem moram cognovisse; licet ignoraverit, utrum terræ, an vero Solis statione illud productum sit.

§. X.

Explicatis precibus a Josua ad DEum fufis ad miraculum

C 2

culum progredimur in Josuæ & Israelitarum gratiam patrum. Pergit Scriptor יררם & יררם יררם עמר & יררם יררם עמר & Luna stetit. יררם a Rad. יררם descendere supra vidimus. עמר vero stare ex Lexicis patet. Hoc tantum addimus, quod יררם & יררם, & עמר stetit, unum eundemque actum, stationem scilicet denotent, quod supra quoque a nobis indicatum est. Additur etiam, quamdiu Sol steterit, his verbis: donec gens de inimicis suis ulta sit. Tamdiu Sol stetit, quamdiu Josua ejus luce ad profligandos hostes opus habuit. LXX. vertunt: ἕως ἡμετέρου ὀφθαλμοῦ ἐπιέχθη αὐτῶν. Noluerunt Israelitas gentes appellare, quod profanæ nationes gentes dicerentur. Sed frustra. Aliis enim in locis frequenter Israelitæ gens appellantur. Vid. Coccej. in illa voce in Lex. Hic quæritur, quomodo Sol & Luna steterint? R. Levi Ben Gersom existimat, neque Solem, neque Lunam stetisse; sed tantum tardiori gradu incessisse. Ratio, quæ ei hanc sententiam suggestit, hæc est, quod ipsi minus probabile visum, Josuam majora miracula patrasse, quam Mosen, qui maximus propheta dicitur. Audiamus reliquas ejus rationes:

ועוד כי כבר יראוה

משפטי אלו הדברים

של נתבטרו השמש

מהתנועה הלא הירח הרה

יתבאר מפנים מהם מר שנה

ולא אף לבוא רל של

מהר לבוא הה לא ישלך

ממנו התנועה אבר ישלך

ממנו מהיר התנועה והמאמר

שירר

Præterea etiam ex locutionibus ipsis apparet, quod Sol non cessaverit a motu, neque Luna, & hoc cognoscitur ex illis verbis, quibus dicitur, & Sol non festinavit occidere vers. 13. b. e. Sol non acceleravit occasum. Hoc vero non privat Solem motu, sed tantum acceleratione motus. Ejusmodi phrasis potius requirit, ut ipsi mo-

שירר

שזה רכבו יחייב לו התנועה
 בכמו אלו המאמרים העלמים
 אשר ידובר בהם בדברים
 מדרך מה הוא ומהם מה
 שאמר שמש בגבען דום וירח
 בעמק אילן ולא אמר שמש דום
 וירח אבר לקח להם מקום רחב
 היו נראים אז אר המקום הזוא
 וחזא מבואר שמי ששלול
 התנועה מהמקום הרחב לי
 ישלול התנועה. במוחלט כי
 כבר אפשר שיתנועה במקום רחב
 הזוא וכבר יחייב זה: המאמ'
 בכמו המאמרי' העלמים לשמש
 הירח התנועה והמשר
 שמי שיאמר שפלוגי עמד כארצו
 כך וכך ימים הנה לא יתחייב
 מזה אלא יצא כארצו ונר:

tus tribuatur, uti & alia plures, in quibus similia dicuntur, ut & ille, in quibus ad harrum modum dicitur: Sol in Gibeon sta & Luna in valle Aialon. Non enim dixit, Sol sta & Luna; sed sumit pro iplis locum amplum, in quo tunc apparuerunt. Notum vero est, quod ille, qui privat aliquem motu ex loco amplo, non absolute omni motu eum privet; potest enim se movere in loco amplo. Et ejusmodi phrasib, Solem & Lunam moveri. V.g. si quis dicat ad aliquem, subsiste in terra ejus tot vel tot diebus, ex quo nihil aliud infertur, quam quod non debeat egredi ex terra ejus &c.

Ex qua sententia sequitur, Solem non stetit, sed gres-
 su tardo in amplo super Gibeon loco exspatiatum esse.
 Fundamentum quaesivit in verbis vers. 13. *Sol non festinavit
 occidere. Sed uti commode de stante dicitur eum non fe-
 stinare progredi; sic de Sole stante cur non idem dicatur,*

non apparet. Et cur ipse Scriptor illud *non festinare* de vera statione explicat? Sic quoque vix dici potest, Josuam amplum locum pro statione Solis definivisse, cum dixit: *Sol sta in Gibeon, & Luna in valle Ajalon.* Mens potius ejus fuit, ut Sol & Luna in locis, in quibus apparuerunt, subsisterent. Et licet hoc loco Josua absolute non dixerit, Sol & Luna stare, quod R. urget; dixit tamen illud Habacuk Cap. III, II. *Sol & Luna stetit in habitaculo suo.* Solem itaque prout in Gibeon, & Luna prout in valle Ajalon apparuerunt, merito etiam in iisdem locis in oculis Israelitarum stetit dicendi erunt. Alias rationes opponit *Abarbanel* Ralbag in Comment. ad h. l. fol. 23. a. b.

§. XI.

Aliam methodum explicandi nostram Solis Stationem invenit *Peirerius*, quam in *Systemate Theologico* ex hypothese *Præadamitarum* Lib. IV. Cap. V. p. 215. his verbis proposuit: *Nemo est, quin primo hæc legens, asseveret Solem ipsum stetit in cælo. Verum, si quis attentius vim miraculi expendat, & miraculum ipsum intra fines suos contineat, facile deprehendet, lumen & fulgorem solis, non solem ipsum hoc loco intelligendum esse: sicut in miraculo Ezechie demonstratum est. Auctoritatem & confidentiam conjecturæ adjecit, quod scriptum est. Solem stetit in medio cæli. Sol enim occiduus cælo præcipitabat, quando illum Josue stare jussit. Neque Sol stare tunc poterat in medio cæli, in quo non erat. Distat enim occasus toto cæli quadrante, a medio cæli. Accipiendum ergo ita est miraculum hoc: ut cum Sol ipse revera occumberet, neque cessaret interea cælestis & naturalis rerum ordo: fulgor Solis, sine sole ipso, & miraculo maximo, superesset in Atmosphæra, vel regione vaporum illa, que civitati Gabaonica, cæli & aeris medio incubabat. Solis vero fulgor, civitatem Gabaonicam, & montem Gabaon verberaret. Ita ut reverberati ex fulgore illo radii jacentes undequaque convalles illustrarent, at enim fusi & fugati Amorrhæi, imminentem illis Josue effugere non possent: que miraculi causa erat. His addit, quod simile quid observasset,*
cum

cum in valle medijs Codurcerum montibus degisset: Unde cæli spatium breve patens, Solem conspicuum, per diei horas circiter sex mensibus æstivis, in valle eadem admitteret. At vero interea Sol, qui mihi temporius occiderat, per hiatus & intervalla montium, excelsum & oppositum valli montem feriebat: quo fulgore vallis tota accendebatur; donec Sol sub horizontem ipsam cecidisset. Videbam ergo in monte opposito Solem sine Sole, per plures horas, quod mihi instar miraculi erat. Toties autem subibat miraculi Josue recordatio. Potuisse nempe DEum retinere splendorem Solis, sine Sole in Gabaon: miraculo majore, quo videre mihi datum erat Solem sine Sole, in monte mihi opposito. Hæc ille. Non ergo Solem, sed ejus radios vel parhelium super Gibeon apparuisse existimat adductus Peirerius. Sed miramur, cur tantum Solis, non vero Lunæ Stationem explicuerit. Posito enim sensu, quo vult auctor hic, Solem stetisse; quid quæso de Lunæ statione statuendum erit? Fortasse & illa cum Sole occumbens paraselenen reliquit. Fundamentum, quod invenisse putat, etiam ficulneum est, & falsa Scriptoris sacri interpretatione innixum. Quamvis enim in Vulgata versione v. 13. legatur. Solem stetisse in medio cæli; Philologis tamen notum est, Hebræas voces **בְּחַצֵּי הַשָּׁמַיִם** ex linguæ idiotismo tantum significare in parte cæli vel in celo. **חֲצַיִם** enim notat divisit, LXX. διαγίω, διαγίω, quod ex Kircheri Concordantiis constat. Hoc sensu legitur vox Jud. IX, 43. Tulit itaque populum **חֲצַיִם** & partitus est in tria capita. Inde **חֲצַיִם** est pars, portio. Consentit Bochart. Part. II. Hieroz. in indice. Idem vidit Jac. Guffetius Commentario linguæ Ebraicæ p. 279. Usus frequentissimus est, non ponit, medietates accurate pares, modo totum dividatur in partes duas, nec in plures. Quis enim propter vocem **חֲצַיִם** affirmat, præcise media nocte Samsonem egressum Gaza Jud. 16, 3. aut Rutham venisse ad Booz, Ruth. 3, 8. sic de dimidia tribus Manasse, de dimidijs barbis rasis, de dimidio ligno in ignem jacto, altero in idolum formato. Si itaque Scriptor meridianum significare voluisset **בְּצַהַרֵי**

in meridie dixisset. Hinc etiam Cornelii a Lapide & Abarbanelis cadit ad hunc locum opinio, qua per dimidium cœli, hæmisphærium intelligit, quod dimidium est respectu hæmisphærii antipodum. Sed antipodes Scriptoris ætate notos fuisse, jure dubitatur. Sensus itaque hic est, Solem in parte cœli, in qua Josuæ populoque visus est, stetisse. Sic enim interpretatur verba propheta Habac. cap. III. n. *Sol stetit in habitaculo suo.* Si enim Sol verus occidisset, & alius in medio cœli apparuisset, Scriptor id non reticuisset. Sed cum Solem, quem occidentem vidit populus, Josua allocutus sit, dicens: *Sol quiesce in Gibeon & Luna in valle Ajalon:* non licet nobis alium Solem fingere, qui steterit, maxime quod annectatur, *quievisse Solem & Lunam.* Quid enim obstat, quo minus, stationem de eodem Sole intelligamus, quem Josua allocutus est. Et quod maximum, nullus parhelius diem longiorem reddit, neque radii in nube repercussi, secedente Sole diutius permanent. In nostro autem loco Scriptor dicit, quod dies ille reliquis omnibus longior fuerit. Tandem hæc Peirerii explicatio, expresse Scriptoris verbis contradicit. Hic enim inquit: *Solem, quem Josua allocutus est, non festinasse occidere.* Peirerius contra asserit; *Solem revera occubuisse* Figmentum ergo est, verbis Scriptoris contrarium, non ex illis profluens, sed iisdem illatum, quodque ipsa verba uno intuitu inspecta refellunt. Similia sunt, quæ Spinoza de hoc miraculo sentire professus est Cap. II. p. 22. *Malo igitur aperte dicere, inquit, Josuam illius lucis causam veram ignoravisse, eumque omnemque turbam, quæ aderat putavisse, Solem motu diurno circa terram moveri, & illo die aliquamdiu stetisse, idque causam diuturnioris illius lucis credidisse, nec ad id attendisse, quod ex nimia glacie, que tum temporis in regione aeris erat, vide Josuæ Cap. 10. v. n. refractio solito major oriri potuerit, vel aliud quid simile, quod jam non inquirimus. vid. quoque Cap. VI. p. 78. Hoc sensu, Josua omnesque Israelitæ, qui 40. annos in campis habitaverant, & cœlum*

coelum aspexerant, multo simpliciores fuerunt nostris rusticis gregumque pastoribus, hi enim parhelia a vero sole facile distinguunt, quæ Israelitæ non distinxissent. Fatemur equidem, Josuæ X. II. mentionem fieri tempestatis hostibus immisissæ; sed ex eo non sequitur, Solem in occidente statim effecisse parheliolum, & Lunam in oriente paraselenen. Si duo soles visi referrentur, speciem haberent verba Spinozæ. Dicis, verum solem occubuisse relicto parhelio. Quæro, utrum Luna orientalis quoque occubuerit relicta paraselene? Porro in isto, potestne parhelium *circiter die integro* subsistere, uti Scriptor refert? Fatuusne fuit Josua cumque eo omnes Israelitæ, ut exiguam parhelii stationem pro integro die haberint? Malumus cum Jesaiâ & Habacuco hoc miraculum admirari, quam ad Spinozæ nodos indecoros saltare.

§. XII.

Cl. Clericus hæc verba illustraturus, Commentario ad h. l. p. 23. 24. cum ratione non potuit hoc miraculum componere, quare alium modum quæsit, quo illud explicaret: *Præterea, inquit, non est simile vero ob rem tantillam, qualis fuit cæcis aliquot Cananaorum, & quidem eo die, potius quam postridie, terra motum diurnum, aut, si maris, Solis, interruptum fuisse. Non solet Deus, ut sic loquar, sic prodigium esse miraculorum, ut natura ordinem, in tam insigni Universitatis parte levi de causa, perturbet. Denique videntur hæc desumpta ex libro poetico, qui in sequentibus verbis laudatur, ut mox ostendemus. Est autem moris poetarum hyperbolicis locutionibus res sublimius describere. Voluit fortasse scriptor Libri Recli indicare, non sine divina providentia loca, in quibus cædebantur Chananeis, diutius, quasi Solis & Lune luce, fuisse illustrata. Visum enim esse solem Gababone spectatum diutius supra horizontem, quam solebat: nec Lunam in Ajalonis valle, persequentibus Chananeos Israelitis, tam cito occidere visam. Quod fieri potuit, insolitis Refractionibus; quibus, ut notum est, Sol vobis supra horizontem esse videtur, cum nondum ortus sit, & jam occiderit; idemque, in Laponia, oculis non occidit, solstitialibus diebus, licet revera horizontem subeat. Eieri etiam hoc potuit, extraordinario quodam lumine, quod illic speci-*

em ac vicem Solis & Luna præbuerit ; quis enim DEO, aut angelis innumeras esse rationes conficiendi id, quod præter ordinem nature est, ne scit ? Fatemur, nec nobis videri verosimile, DEUM ob cædem aliquot Cananæorum tantum miraculum produxisse, sed advertendum, non ob cædem tantum Cananæorum, sed etiam ad confirmandum cultum ab Israelitis & omnibus populis, vero & uni DEO præstandum, & ad posteros propagandum, Solis cursum nobis videri interruptum. Nec DEO difficile est, quod nobis ita videtur, potuit Sol in oculis Josuæ stare, illæsa reliqua universitatis machina. Præterea non est quæstio, quid nobis videatur, sed quid facer Scriptor dixerit. Existimat quidem Cl. Vir, verba Scriptoris esse poetica & hyperbolica, qualia & illa Statii, ex Libr. V. desumpta :

Tardius humenti noctem dejecit Olympo
Jupiter, & versum, miti, reor, æthera cura,
Sustinuit, dum fata vetant ; nec longius unquam
Cessavere novæ, perfecto sole, tenebræ.

Non diffitemur, quod si Liber Recti integer ad nostras manus pervenisset & hoc factum verbis vel phrasibus, illis Statii similibus in illo legeretur, nos forsitan versus eodem sensu, quo illos Statii poetice & hyperbolice, esse interpretaturos. Sed cum illi versus a Scriptoris sacro, qui integrum carmen legit, alio sensu nobis sint explicati, nos non decere putamus ab ejus explicatione recedere. Scriptor enim facer verba carminis intellexit, de viâ statione Solis ; ita enim inquit : *Et quievit Sol & Luna stetit, donec ulcisceretur gens de inimicis suis.* Et porro : *Et non fuit dies, uti dies illa neque ante, neque post eam, ut auscultasset Dominus voci hominis, quia Dominus pugnavit pro Israelitis.* Quæ evidenter docent, Scriptoris libri de veritate miraculi fuisse persuasum. Hæc enim verba non sunt ex carmine allegato, sed ipsius Scriptoris. Nec facile in aliis hujus libri locis, similes hyperbolicas factorum descriptiones invenies, totus enim liber, simplici & historico stylo est exaratus. Et si totus Josuæ liber esset
poe-

poeticus, quod nobis tamen non videtur, persuasus sum, non sufficientes adesse rationes, ut suspicemur Scriptorem verbis jam allegatis hyperbolice esse locutum. Factum narrat, non potice ludit scriptor. Dixerat enim Josuam esse precatum, ut Sol & Luna starent, deinde addit, DEum desiderio ejus satisfecisse, & quod maximum, nullam neque antea, neque postea diem similem esse visam. Quæ omnia nos confirmant, Scriptorem de veritate miraculi fuisse persuasum & confirmatum. Quæ porro Cl. Vir de radiorum *Refractionibus*, & sole post occasum viso disserit, ex *Physica* constant; sed ita sunt comparata, ut diem longiorem non reddant. Ita & quæ de extraordinario lumine profert, quod speciem & vicem Solis & Lunæ præbuerit, vel eandem DEi potentem manum requirunt vel parhelium respiciunt, quem his verbis descriptum esse nemini facile persuadetur. Et licet miraculum variis modis effici potuerit, ut Sol & Luna Israelitis stare viderentur; existimamus tamen tutius esse, hæc non scrutari, quam incertis mentis cogitationibus inhærere. Placent nobis, quæ eruditissimus *Grew*. L. IV. Cap. V. p. 203. scripsit: *What made it so to do, whether the approach of some dark and unknown celestial body, or other cause, who can say or gain-say? Quid efficebat hoc, num appropinquatio tenebricosi & incogniti corporis, an vero alia causa, quis hoc potest dicere.*

§. XIII.

In asserenda hujus miraculi veritate nullis præterquam biblicis argumentis utimur, sola enim codicis sacri auctoritate miraculum nostrum creditur. Si itaque ex ipsis codicis verbis demonstraverimus, Scriptorem de miraculi veritate fuisse certum, illudque ejusmodi verbis descriptum, ex quibus nullus linguæ peritus alium sensum haurire possit, miraculi nostri veritatem evidenter constare judicamus. Situs locorum, uti supra visum, ostendit, Josuam in monte Beth-horon stetisse, & per Gibeon Solem occidentem & per Ajalon Lunam orientalem conspexisse. Locorum itaque posi-

tus veritatem miraculi adstruit, variis antiquis testimoniis comprobatus. Si porro verba ipsa legas, cognosces, Josuam precibus Solis & Lunæ moram supra horizontem a DEO petisse: *Tunc locutus est Josua ad Dominum, die, quo tradidit Dominus Emoræos, coram Israelitis, dixitque: Sol in Gibeon expecta, & Luna in valle Ajalon.* Anxium Josuæ animum intelligimus, enixeque rogantem, non verbis ludentem ex more poetarum. Rogat DEum, ut diem prolonget. Hic nihil ficti, nihilque poetici, vel quod ludentis ingenii esset, observamus. Pergit historicus vers. 13. desiderio Josuæ fuisse satisfactum, diemque illum longiorem redditum: *Et expectavit Sol, & Luna substitit, donec se ulcisceretur gens (Israelitica) de inimicis suis.* Neque hic quicquam ficti vel poetici ingenii apparet: Probat enim Scriptor, quod narraverat, miraculum, documento cœvo, Libro nempe istius Recti, h. e. Carmine lugubri in obitum Josuæ composito, quod ex sequi. Disputatione prolixius constabit. Verba carminis sunt:

*Stetit etiam Sol in celo,
nec festinavit occidere circiter die integro.*

Ex Ægyptiorum imo Israelitarum more, sive propheta, sive sacerdos Josuæ demortui laudes, uti David Saulis, celebravit, & inter alias res ejus gestas præclaras, narravit admirandam Solis & Lunæ Stationem, ejus precibus impetratam. Nec cogitandum, sacrum, qui hæc addidit, Scriptorem poetica facti narratione fuisse deceptum, ut verba vatis alio acceperit sensu, quam ipse intendit. Provocat enim Scriptor, ad documentum Israelitarum manibus tritum & notum, qui errorem detegere potuissent. *Nonne hoc scriptum est in Libro istius Recti?* Nec præsumitur, DEum permisisse, ut prophetae divina inspiratione scribentes, errorem comprobaverint, ex falsa poetæ interpretatione ortum. Approbat vero miraculum Jesaias veracissimus Propheta Cap. XXVIII, 21.

*Nam sicut in monte Perazim surget Dominus,
Sicut in valle apud Gibeon irascetur,*

ad

*ad faciendum opus suum, opus suum extraordinarium,
& ad operandum operationem suam, operationem ex-
traordinariam.*

Quibus verbis fatetur, vera esse, quæ in Josuæ Libro h. l. leguntur. Cum Jesaia consentit Habacuc, qui in Cantico suo Cap. III. vers. II. magnalia DEi celebrat, & inter alia ex nostro Josuæ loco refert, Solem & Lunam stetitisse:

Sol & Luna stetit in habitaculo suo.

*In luce sagittarum tuarum (fulgurum) ambulaverunt,
in splendore fulgurantis haste tue. i. e. (fulminum
tuorum ambulaverunt hostes.)*

Quibus verbis partim Solis & Lunæ statio approbatur, partim ad tempestatem respicitur, de qua noster Scriptor vers. II. refert: *DEum eodem tempore in hostes demisisse lapides magnos e caelo, ut plures mortui sint lapidibus grandinis, quam quos Israelitæ gladio interfecerunt.* Si ad Scriptorem nostrum redimus, plures veritatis testes legimus. Versu enim 14. pergit, non fuisse, neque antea, neque postea, diem illi similem. Quod dum subjicitur, postquam dixerat, *Solem stetitisse die circiter integro*, necesse est, ut longiorem diei moram respexerit, quo nullus unquam similis dies fuit. Tandem additur: *DEUM auscultasse voci viri Josuæ*, h. e. DEUM Josuæ desiderio respondisse, & diem illum protraxisse, quia ipse DEus pro Israelitis pugnavit. Non existimamus, quemquam fore, qui animo libero & ingenuo ex his verbis alium sensum extrahat.

§. XIV.

Vidimus longiorem fuisse diem reliquis diebus, quæritur itaque, quamdiu sol quieverit, & quot horarum dies illa fuerit? Duæ occurrunt phrasæ, ex quibus quæstio solvenda est. Primo vers. 13. dicitur: *expectasse Solem, & substituisse Lunam, donec ulciscerentur se Israelitæ de inimicis suis.* Ex quo intelligimus, moram Stationis Solis fuisse sensibilem. Si enim in mentem revocamus, quod Josua in vespera preces ad DEum fuderit, cum Solem occidentem videret, & parum lucis ad hostes persequendos superesse sciret, & deinde per-

pendimus, tantum temporis superfuiffe, quantum ad hostes profternendos fufficeret, extra dubium est positum, omnes Ifraelitas Solis Stationem observaffe certiffimam. Deinde verfu eodem expreffius dicitur, quamdiu Sol fteferit, pergit enim Scriptor ad documentum antiquum provocans:

Et fletit Sol in parte cali,

nec feftinavit occumbere circiter die integro.

In Hebræo legimus, & non feftinavit Sol occumbere כיום כיום circiter die integro. Vulgat. vertit: non feftinavit occumbere fpatio unius diei, quod nobiscum convenit. Solent Hebræi temporis durationem litera כ describere. Sic Ruth. I. 4. Et habitabant ibi כעשר שנים circiter decem annos. LXX. reddunt: Sol non procedebat ad occafum. εἰς τὴν ἡμέραν μίας in fine unius diei. εἰς enim pro *in* positum arbitramur. Ex quorum mente fensus est: Solem non occubuiſſe, eo tempore, quo alias occumbere folet, fed permansiſſe ſuper Horizonte. Sed licet hæc verſio longiorem ſolito diem concedat, nobis tamen non placet, quia loco כיום legit כיום in die. Hodiernam codicis lectionem in dubium non vocamus, quod eam Chaldæus conſervavit, Et non feftinavit ad intrandum כיום כיום circiter die integro. Eccleſiaſticus rem extra dubium poſuit, cum Cap. 46. verſ. 5. in Joſuæ laudes excurrrens noſtrum miraculum celebrat, dicens: nonne Sol inſiſtit hujus manu, καὶ μία ἡμέρα ἐγένθη πρὸς δύο, & unus dies ad duo excrevit. Si ponamus, Solis Stationem in vefperam 4. diei menſis Judaici Thamuz, h. e. 27. Junii incidiffe, quod ex ſupra dictis videtur, quo tempore Sol 14. horæ terræ Judaicæ clima illuminat, ſequetur, Solem totidem horas in occaſu ſteſiſſe, diemque illum ad 28. horas æquales prolongaſſe. Si vero iſta Solis Statio in noſtro climate eſſet viſa, dies ad 32. horas excreviſſet.

§. XV.

Supereſt Talmudiſtarum ſententia diſcutienda, qui Solem bis eodem die ſteſiſſe opinantur, prima vice in merid-

ridiano, quia dicitur vers. 13. *Solem stetit in medio caeli,*
 altera vice in Horizonte, quia ibidem dicitur: *Solem non*
festinasse occidere. Quo certius de seorum sententia constet,
 verba R. adducamus, prout a Cl. Edzardo in Cap. II. Abo-
 da Sara p. 25. versa sunt: " Quanto vero temporis spatio
 " (substitit Sol iterumque procesit?) Resp. R. Josua fil. Levi
 " dicit; per 24. horas. Nimirum (ab ortu suo) procesit
 " sex horis, (usque ad medium caeli,) tumque substitit per
 " horas totidem; post vero iterum procesit sex horis,
 " (cumque jam ad occasum vergeret,) substitit denuo per
 " horas sex. Totum negotium (tam procesus Solis, quam
 " quietis illius,) confecit diem integrum (24. horarum;
 " quod alias ordinarium tempus est diei civilis.) R. Elie-
 " ser dicit, Solem procesisse & stetit per horas 36. [Re-
 " fert enim verba כיום תמים ad solam Stationem
 " Solis, non simul etiam ad illius procesionem, quod fe-
 " cerat R. Josua.] Ab ortu (inquit) procesit Sol, per ho-
 " ras sex, substititque tum (circa meridiem) per horas du-
 " odecim. Tum iterum procesit per horas sex (ad occa-
 " sum,) substititque (antequam occideret) per horas duo-
 " decim. Totum tempus stationis illius fuit quasi dies in-
 " teger (civilis, 24. horarum.) R. Samuel filius Nachmanni
 " statuit, Solem procesisse & stetit per horas 48. (Re-
 " fert enim verba כיום תמים ad solam posteriorem So-
 " lis Stationem circa occasum, atque intervallum prioris
 " stationis exaequat consuetae ejus commorationi infra
 " hemisphaerium, qua noctem conficit horarum duodecim.)
 " Ab initio (inquit:) procesit Sol horas sex, (ad medium
 " caeli,) substititque per horas duodecim. Tum iterum
 " procesit horas sex (ad occasum,) substititque per ho-
 " ras viginti & quatuor. Quia enim de posteriori tantum
 " ejus statione affirmatur, quod non festinaverit ad occa-
 " sum, quasi diem integrum, hinc datur concludere, quod
 " ab initio (circa meridiem scil.) non substitit per spa-
 " tium integri diei civilis &c. „ Sed proluxa haec Tal-
 " mi-

mudistarum concertatio falsa scripturæ interpretatione innixa est. Persuasi enim sunt, Solem bis stetitisse, quia in textu dicitur: *Solem stetit in medio cæli*, & deinde additur, *Solem non festinasse occidere circiter die integro*. Sed supra observatum בחצי non significare *in meridiano*, sed tantum *in parte cæli*, vel Latine *in cælo*. Sic בחצי הרדה non præcise significat *in media nocte*, sed tantum *in nocte*. Convenit חצי medium cum קרב medium, de quo *Glassius* observavit Libr. III. Tr. I. p. m. 675. quod in Latino sermone abundet, quod & de nostro exempla evincunt, Num. XXXI, 29. Jud. XVI, 3. Ruth. III, 8. Ex. XII, 4. &c. Quamvis itaque poeta dicat: *Solem stetit in cælo*, & statim addat, *nec occubuisse circiter die integro*, eandem tamen sententiam, diversis verbis repeti putamus: Ejusmodi enim Pleonasmum & verborum abundantiam in scriptura frequenter observamus, quam ad elocutionis varietatem medentem fastidio, non ad diversitatem sententiarum pertinere cum August. in Pl. 104. existimamus. Videatur *Glassius* in *Figuris Grammat.* Lib. IV. Tract. II. p. m. 1230. Nec nobis obstat Talmudistarum auctoritas, quæ tanta non est, ut nos in aliam sententiam pertrahat. Illos enim ex Rhetoricorum præceptorum ignorantia sæpe errores in interpretatione commisisse, isti norunt, qui eorum commentarios evolverunt. Accedit quoque verba illa ex carmine esse desumpta, quis autem nescit figuras Rhetoricas poetis esse frequentissimas. Semel itaque Sol isto die stetit, semel etiam Josua stationem petiit, semelque DEum ejus preces exaudivisse a Scriptore refertur.

§. XVI.

Quia Judæi Nicodemum quendam cum Josua comparant, deque eo referunt, quod non solum pluviam precibus suis impetraverit, sed etiam solem occidentem reduxerit, quid de eo sentiendum sit, breviter adjungemus. Adducam narrationem ex Tract. Taanith. Cap. III. fol. edit. Venet. 19. b. & 20. a. " Tradiderunt Rabbini, quodali quando

quando adscenderint omnes Israelitæ Hierosolymam
 propter festum, & non habuerint aquam ad bibendum.
 Accessisse Nicodemum filium Gorion ad primatem ali-
 quem & dixisse: mutuo da mihi duodecim puteos aqua-
 rum, & ego tibi reddam duodecim puteos aquarum, &
 si non reddidero, dabo tibi duodecim talenta argenti,
 & constituit ipsi tempus. Cum jam accessisset tempus,
 & mane non plueret, misit ad eum primas his verbis:
 redde mihi aut aquam aut pecuniam, quam mihi debes,
 respondit Nicodemus, superest mihi tempus integri diei.
 In meridie iterum eum monuit primas, ut redderet vel a-
 quam vel argentum, quod deberet, respondit illi, adhuc
 aliquid temporis mihi superest. Eo tempore dixit primas:
 toto anno non pluit, & jam pluet? Ingressus est lætus
 balneum. Intrante vero balneum primate, Nicodemus
 ingressus est templum sanctum, dolens & obvelans se di-
 xit: Domine totius mundi, manifestum & notum est ti-
 bi, quod hoc non in meum, neque in familiæ meæ ho-
 norem fecerim, sed quod aquæ exsiccatae fuerint adscen-
 dentibus in templum: mox repleti fuerunt nubibus cœ-
 li, & pluuiam demiserunt, quæ replevit puteos duodecim
 aquis, quæque duravit usque dum egrederetur primas ex
 balneo, & Nicodemus filius Gorion ex templo. Cum in
 platea convenirent, dixit primas: redde mihi pecuniam
 pro aquis, quam mihi debes. Respondit Nicodemus, no-
 vi, quod DEUS benedictus tantum propter te mundum
 commoverit. Respondit primas, est mihi exceptio con-
 tra te, ut requiram a te pecuniam meam, quia Sol jam oc-
 cidit, & aquæ meæ factæ sunt. Regressus est Nicodemus
 in templum & obvelans precatus est his verbis: Domi-
 ne totius mundi, notum est, quod habeas dilectos in
 mundo tuo. Statim dispersæ sunt nubes & resplenduit
 Sol. Eadem hora dixit primas ad Nicodemum, nisi Sol
 per pluuiam obscuratus fuisset, possem jure pecuniam
 meam postulare. Tradunt Rabbinii non fuisse nomen ipsi

E

Nico-

" Nicodemum, sed Bonai, & cur appellatur Nicodemus?
 " quia Sol obscuratus fuit propter ipsum. Tradunt Rabbi-
 " ni, tribus viris promicuisse solem, Mofi, Josuæ & Nicodemo
 " filio Gorion., Nulli dubitamus, hanc narratiunculam inter
 reliquas parabolæ, quas antiqui Judæorum magistri do-
 cendi gratia finxerunt, esse numerandam, quam cum in
 finem excogitarunt, ut precum efficaciam docerent, licet
 Judæorum credulitas eam pro vera historia acceperit. Pos-
 semus hoc ex multis circumstantiis probare, si operæ pre-
 tium esset. Hoc unicum addimus, verosimile non esse,
 quod pro duodecim puteis duodecim talenta h. e. secundum
 Simonii Dictionaire de la Bible Tom. II. p. 621. 18000. Joachi-
 micorum, in specie ut vocant, oblata sint. Tanta aqua-
 rum caritas in urbe, quæ exercitibus maximis Nebucadne-
 zaris & Titi Vespasiani sufficientes aquas præbuit, fidem
 omnem superat. Graviter itaque errarunt Talmudistæ, qui
 Mosen, Josuam est Nicodemum ob miraculorum excel-
 lentiam componunt. Fabulæ occasionem dedisse videtur
 ejus pietas, quæ Judæis antiquis fuit conspicua. Unde quis
 suspicari posset, hunc Nicodemum eundem fuisse, qui Sal-
 vatorem convenit & de salutis via interrogavit, Joh. 3. Sed
 licet aliquis Ben Gorion in Echa Rabhti fol. 64. i. inter
 quatuor בריוטין senatores & aliquis Bonai inter Chri-
 sti discipulos numeretur Sanhedr. fol. 43. i. facile tamen con-
 tingit, ut plures eodem nomine appellentur. Nec proba-
 bile videtur, discipulum Christi tanto elogio a posteris Ju-
 dæis fuisse exceptum. Plura de eo dabit *Lighthfoot* ad c. III. Joh.
 Hor. Hebr. p. 608. sqq. & *Otho* in Lex. Rab. p. 400. Nec plus
 fidei merentur, quæ Vulgata versio in Paral. IV, 22. de quo-
 dam refert, qui *Solem stare fecit*. In textu Hebræo est עקני
Jôkim, nomen Viri proprium, quod LXX. *Ιωακειμ* reddunt,
 Arabs autem & Syrus, cum pluribus aliis prætermisit. Tar-
 gum-Beckii refert Judæorum allegoricam expositionem: *Et*
prophete Scribarum, qui e familia Josue sunt oriundi, & Gi-
beonite, qui traditi sunt ad serviendum &c. Talmudistæ in
 Baba Bathra Cap. V. & in Jalk. Simeon. P. II. fol. 160. col.

3. inter alia referunt: *Et Jokim est Josua, qui חִקִים H E-
K I M, servavit juramentum Gibeonitis.* Existimamus inde,
Interpretem Vulgatum, audivisse vocem *Jokim* de Josua ex-
plicari, sed id non recte percepisse, & sic errorem in versi-
onem intulisse. Solem quoque Hiskiaæ ætate 2. Reg. XX, 11.
& Es. XXXVIII, 8. stetitisse putant, verum ibi non Solem ste-
tisse, sed Solem vel umbram decem gradus recessisse refer-
tur, fortasse miraculum in sola umbra observatum est, vel
Sol celerrime recessit, quæ prolixius examen requirunt.
Multo minus verisimilia sunt, quæ Turpinus in Vita Caroli
M. Cap. 28. refert: *Illico ait, eo post illos currente cum sua to-
ta militia Sol stetit immobilis, & prolongata est illa spatia qua-
si trium dierum.* Nisi fallimur, legit Monachus, quæ Just.
Martyr in Dialogo contra Tryphonem in Josuæ Stationem
commentatur: *Stetit Sol 36. horarum, quæ tres dies con-
stituunt naturales.* Hanc imitaturum similia de Carolo com-
mentus est. Quantum fidei Turpino vel Tulpino tribuen-
dum, nos Cave in Histor. Liter. p. 418. docet: *Extat sub Tur-
pini nomine, inquit, Historia de vita Caroli M. & Rolandi apud
Reubertuum Script. Germ. p. 67. Verum hoc opus abjudicant e-
ruditi, Hottomannus, Pap. Massenus, Dunza, Vossius, alii;
tum quod ejus nusquam meminerunt illius seculi Scriptores, tum
quod nimis sit fabulis refertum, denique quod meminit obitus
Caroli M. cum ipsum Turpinum ante Carolum decessisse constat.*
Idem de Turpino sentit Clar. Struvius de Biblioth. Hist. Cap.
vii. §. 2. p. 117. Non dubitatur, auctorem nomen Turpini, qui Carolo
M. a secretis fuit, suo libro proposuisse, quo fabulis suis fidem fa-
ceret. Verum enim vero ideo de his traditis miraculis dubita-
mus, quo fidem nostri miraculi a divino Scriptore traditi con-
firmemus. Sol & Luna erant plerarumque gentium Dii, per-
suasarum fiderum stationem afferre toti orbi ruinam. Sed
eorum statione, se universi Dominum esse docet DEus, cujus
mandato obtemperant cuncta creata. Qui duobus Religionis
principiis, fide & obedientia imbuti sunt, sine relatione
hoc miraculum amplectentur, & DEum universi
Dominum omnipotentem celebrabunt.

F I N I S.

I, A

